DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

DE

INSPECTIONIS CORPORUM FORENSIS IN CAUSIS MATRIMONIALIBUS FALLACIIS ET DUBIIS,

Von

Zweiffelhafftigen Besichtigungen in Ehe-Sachen

Quam

AUSPICE DEO PROPITIO,

Et Consensu atque Auctoritate Gratiosæ Facultatis Medicæ,

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

PRÆSIDE

DN. D. MICHAELE ALBERTI

SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB. CONSILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO, ETC.

DECANO SUO SPECTATISSIMO,

Domino Patrono, ac Promotore suo, omni honoris cultu prosequendo,

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,

HORIS LOCOQUE CONSUETIS,

ANNO MDCCXL. D. XXI. JUN.

PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICIET

RESPONDENS

CAROL. CHRISTIAN. KRUSCHIUS,

STRIGA-SILESIUS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

Typis JO. CHRISTIANI HENDELII, Acad. Typogr.



PROOEMIUM.



PErvulgatum JCtorum, quod Juris Regulis annumerari solet, effatum est, *turpitudinem propriam allegantem audiendum non esse L. mercalem 5. C. Lib. 4. tit. 7. de condict. ob turpem causam:* hæc enim confessio vix adeo sincera esse reputatur, quoniam juxta naturalem famæ suæ æstimationem labes & vitia occulta & personalia rectius absconduntur & dissimulantur, quam revelantur & significantur; unde utplurimum illi, qui maculas suas propalant, dolosæ & culposæ alicujus simulationis arguuntur, qua alios fraude quadam circumvenire præsumuntur. Præterea probandum omnino atque commendandum factum est, si homines nævo quodam laborantes, aut nihil suscipiunt, quod cum labe, vitio & effectu tali consistere non potest, aut justo ac congruo modo peritis, honestis, ingenuis & taciturnis vitia sua vel ani-

mi, vel corporis confitentur, de eo autem utilia expetant consilia, ne sub pervicaci ac morosa vitiosi sui status reticentia, futuris arduis disceptationibus, difficultatibus, dissensionibus & dissidiis molesta ac tædiosa præbeatur occasio: Quam multæ concertationes, animorumque confusiones, corruptiones & indurationes evitari & averti possent, si meliori, majori & sinceriori animi affectu, juxta illud apostoli *Jacobi cap. V. 16.* monitum homines *invicem delicta* & vitia *confiteantur.* Hæc considerantibus nobis in mentem incidit, quæ TIRAQUELLUS *in IV. Leg. Connub. Glossa 1. Part. 4. n. 2. p. 78. 79.* sequentibus refert: *Prudenter mihi fecisse videtur Pater Sergii Galbæ Romani Imperatoris, qui (ut scribit Tranquillus) cum esset brevi corpore ac etiam gibber, & tamen a Livia ocellina divite admodum pulchra, ultro esset in virum appetitus & aliquanto enixius, ille tum subinde instanti vitium corporis, secreto posita veste detexit, ne quasi ignotam fallere videretur: Simile quippiam fecisse tradit,* APULEJUS *Lib. 2. Floridorum, Craten Thebanum nobilem Philosophorum, cujus & decreta Canonica meminerunt 12. quæst. 2. §. Crates, ubi tamen Socrates perperam legitur. Nam cum & Hipparchia, quæ & ipsa Philosophiæ deditissima fuit, eum maritum optaret, is inter scapulium detexit, quod esset gibbosum, peramque cum baculo & pallium humi posuit, professus puellæ eam sibi esse supellectilem, eamque formam, quam videret. Proinde,* inquit, *sedulo te consule, ne post pœnitudo te capiat: Enim vero Hipparchia conditionem accepit, respondens, jam sibi provisum satis esse & satis consultum, neque ditiorem maritum, neque formosiorem uspiam gentium posse invenire: proinde duceret,*

ret, quo liberet: & ita Crati nupsit Hipparchia. Haud felis, in sacco comprehensi, emtio bene cedit: ideo in matrimonio ineundo desideratur mutuus conspectus & nihilominus satis sæpe minus secundis sortibus ac successibus matrimonia perficiuntur, sub explicata fronte interdum latet anguis, crocodilus, basiliscus; in ære prægnante pera, quam aliqui præcipitato judicio pro utensili, magno quasi linteo cœlitus demisso, æstimant, delitescunt sæpe quadrupedes, terrestres feræque & serpentes & aëreæ volucres; nec facile hæc introspiciendi datur facultas. Hinc Leges civiles etiam præcipiunt, quod qui *mancipia aut res inanimatas sive mobiles sive immobiles vendunt, certiores facere debeant emptores, quid morbi vitiive latentis, cuique rei sit. l. 1. §. venditor ff. de act. empt.:* quare AMBROSIUS *Lib. 3. officiorum* inquit: *in contractibus vitia eorum, quæ veneunt, prodi jubentur, ac nisi intimaverit venditor, quamvis in jus emtoris transierint, doli actione vacuantur:* addimus VALERII MAXIMI *Lib. 8. cap. 2.* in *princ.* judicium *M. Porcii Catonis, bonæ fidei venditorem nec commodorum spem augere, nec incommodorum cognitionem obscurare oportet:* Testimonia ex auditu inferiora oculatis judicantur, quoniam relationibus sæpe quædam adduntur, quæ nunquam oculis observata ingeniose excogitata & ficta esse deprehenduntur: ideo a POLYBIO *Lib. XII. Hist. cap. 15. oculi certiores auribus testes vocantur:* quare PHILO *Lib. de Iudice* testatur: *Qui auritos testes accipit, vane, non sane accipit: nam oculi rebus ipsis interveniunt & contrectant quodammodo negotia totaque percipiunt adjuvante luce, per quam illustrantur de-*

prebenduntúrque omnia; aures autem sicut recte dixit quidam e veteribus, minus fidei habent, ut quibus non cum ipsis rebus sit commercium, sed cum sermonibus, rerum interpretibus, non semper veritatem sectantibus. Qui pelliceam copulativam aut conciliatoriam vestem, einen Kuppel-Beltze acquirere gestiunt, illi ex auditu sæpe mira promittunt, dum interdum de externis, quia de occultis non possunt, judicant, aliquando multa addunt, quæ magis optantur & desiderantur, quam quæ vera ac realia agnoscuntur, aut in subiecto observantur; & ita aliquoties ad sortem & bona vota matrimonia contrahuntur & promoventur, auf guth gerath wohl: utut autem juxta MASCARDUM *de Probationibus conclus. 1183. n. 60. nemo cogitur suam detegere turpitudinem*, tamen unus alterum sua turpitudine suisque vitiis haud decipere debet, ne consectaria fraudis majorem turpitudinem causentur: Quo itaque tales difficultates & ambiguitates resolvantur, ac cognitio dubitationis & diffidii ex æquo formetur, ideo ocularis inspectio decernitur, quia secundum DIODORUM SICULUM *Lib. I. c. 84. narrare quidem facile est, sed narranti credere, nisi quis ipse viderit, perdifficile:* ob id in Sacris æque ac civilibus casibus visitationes & inspectiones magnam fidem nanciscuntur: intenta enim oculorum applicatio facilius quod justum, certum, verum & salubre est, detegit atque invenit, sicut ab eod. DIOD. SICULO *Lib. 3. cap 4. Ægyptiis oculus justitiæ servator & corporis custos dicitur:* Quodsi etiam oculi, nec ægritudine quadam affecti, nec præcurrente imaginatione corrupti, nec perverso

ſo miniſterio applicati fuerint, tunc faciliorem viam eruendi veritatem reperiunt; ſinſecus autem oculorum officium adminiſtretur, perinde fallaces fieri annotatur, ut juxta CARTESIUM Senſus interdum fallere ſolent, uti in vulgari dicterio enunciant, mein Geſicht hat mich betrogen, licet non raro phantaſia decipiat Senſus. Si viciſſim provide, congrue & attente oculorum uſus inſtituitur, multum ſane ipſe praevalet: hinc referente STOBÆO *Serm. XII.* & allegante ERASMO *Lib. 3. apophthegm. Thales Mileſius interrogatus, quantum a vero diſtaret mendacium? quantum oculi dixit ab auribus*, & ISIODOR. *Heſpal. I. orig. c. 40. de oculo* elocutus eſt: *Melius oculis, quae fiunt, deprehendimus, quam ea, quae auditione colligimus, quae enim videntur, ſine mendacio proferuntur.* Et tales inſpectiones aut ſcrutationes oculares in foro medico eximiae utilitatis & neceſſitatis ſunt: Arduum enim ſaepe atque anceps negotium eſt, citra viſitationem, verbis tantummodo, conſiliis atque chartis curare? Quamvis autem *ſenſus viſus nobis multarum rerum rationem & differentiam demonſtret*, juxta ARISTOTELEM *Lib. I. Metaphyſ. tamen etiam oculi principes ſunt ad nocendum & fallendum in ſenſibus, ut* AUGUSTINUS *Lib. 10. confeſſ.* eloquitur: inſpectio etiam non abſolutum & infallibile, nedum perfectum ſemper medium eruendi veritatem eſt, id quod praeſenti Inaugurali argumento demonſtratum dabimus, quando de INSPECTIONIS CORPORUM FORENSIS IN CAUSIS MATRIMONIALIBUS FALLACIIS ET DUBIIS agere conſtituimus: Cui labori ut optimus actionum noſtrarum

rum Director ex almo annuat & benedicat, eidemque exoptatos largiatur successus devotissime precamur.

§. I.

INnumera, imo plurima oculis nostris sunt *abscondita*, de quibus audacter præsumere & frivole judicare haud prudentis hominis character est: SENECA *in Quæst. Natur. Lib. VII. c. 30.* inquit: *quam multa per secretum eunt, nunquam humanis oculis orientia? neque enim omnia Deus humanis oculis nota fecit; quota pars oculis nostris committitur: ipse qui ea tractat, qui condidit, qui totum hoc fundavit, deditque circa se majorque est pars operis sui ac melior, effugit oculos, cogitatione visendus est.* Et quamvis juxta eundem *Ep. 6. Homines amplius oculis, quam auribus credant*, nihilominus *ocularis* indagatio *providum* requirit animum, ne *nimium oculis* tribuendo *fallacia* atque dubia formemus judicia. *Inspectionis forensis* aliqualem rationem & disquisitionem suscipientes, ampliorem hanc tractationem ad *unum* selectum respectum atque objectum restringimus, quando prius indicavimus Inspectionum ocularem *judicialem esse actum, quo judici in re quadam controversa aut dubia curatiori sensuali observatione aut intuitu demonstratur, eam sic & non aliter se habere* aut constitutam esse *conf.* SCHEINEMANN *de oculari inspectione th. 4.* Quoad nominalem hujus notionis cognitionem dicit FELTMANN *de Cadavere inspiciendo cap. 2. §. 1.* quod *inspicere nihil aliud sit, quam diligenter & accurate intueri.* Inspectio hæc aut *ocularis* observatio & indagatio variis in casibus locum invenit, quo generatim

totus

totus titulus 4. ff. Lib. 25. de inspiciendo ventre pertinet: interea in omnibus casibus *arduis*, *controversis*, intricatis & dubiis, ad *medicum* forum etiam spectantibus, illud monitum B. STRYKII *de Jure Sensuum disp. I. c. 1. n. 12.* valet, *in omni delicto, quo accurata institui possit inquisitio, judex visum, ocularemque inspectionem habere debet:* Multiplex quidem inspectionis ordinatio atque usus in casibus forensibus deprehenditur, sed nostri instituti sphæra non permittit, ut in ampliorem talem deductionem excurramus: e multis, qui *varias causas*, discrepantia *objecta* & *subjecta*, nec diversos *casus* & *modos* annotandos & observandos allegarunt, provocamus ad B. STRYKII *tr. de Jure sensuum l. c.* ubi *n. 16. sq.* de inspectione *cadaveris* in casu commissi *homicidii n. 20 sq.* de inspectione *inflicti vulneris: num. 22.* de inspectione *vestigiorum*, eorum qui præsumuntur delictum quoddam commisisse, quorum *calcei* cum *vestigiis* conferri debent: *n. 24.* de inspectione *inventi* alicujus *cadaveris*, de cujus homicidio non constat: *n. 27.* de inspectione *veneno* interfecti, *n. 31.* de inspectione *carceris*, & *n. 36. incarcerati*, *n. 40.* de insp. in *maturitate partus*, *n. 44.* de inspiciendo *ventre*, *num. 45.* quoad *graviditatem*, *n. 49.* quoad *virginitatem* & suspicionem commissi *infanticidii*, *n 54.* quoad *impotentiam* coeundi, *n. 56.* quoad *ætatem*, *n 59.* quoad *Hermaphroditos* agitur: Similiter ab eodem B. AUTHORE *in usu moderno ff. Lib. 25. tit. 4. p. 377. sq.* varii casus recensentur, in quibus apud Romanos inspectio locum obtinuit; sicut FELTMANN. *l. c. per totum cap. II.* diversos inspectionis usus forenses recenset: Sed dum *quælibet* species harum Inspectionum *peculiarem* explicationem mereretur, non nisi *illam* e singulis hoc themate seligere pla-

cet, quæ in foro *tori* f. caufis & controverfiis *matrimonialibus* aliquando neceffaria effe reputatur & decernitur: quoniam itaque non raro tales *matrimoniales* concertationes occurrunt, quæ ad *arcana corporis* attinent, & *impudico* ac fordido interdum calamo defcribuntur, ita in talibus proceffibus, *divortia* urgentibus, judex aliquando ad medium & fubfidium ocularis infpectionis inftituendæ confugere debet, de quo certa & congrua applicatione valet, quod FRÖLICH *in Comment. in Conftit. Carol. Lib. I. tit. 5. p. 15. de infpectione cadaveris* inquit: Die Besichtigung ist ein Theil, und zwar der vornehmste der inquifition, und des gantzen Proceffus, wodurch einen Unschuldigen viel geschadt, und einen Schuldigen geholffen werden kan 2c.

§. II.

Hæc infpectio corporum, *conjugio* vinculatorum, *utriusque* Sexus requiritur a *medicis* quippe *judicialis* & forenfis actus inftituendus; ubi mox *duplex generalis* confideratio fefe offert: *primo* quando medici *maritatorum* fubjectorum *corpus oculari* infpectione fcrutantur, & quidem fine ulla occultatione fciente & confentiente *utraque* parte, quando aut ipfæ partes *genitales* aliquo *morbofo* vitio laborant, quod mutuam copulam impedit, aut *minus fecuram* reddit, ne unum ab altero *inficiatur*, five tales affectus in *vicinitate* earum partium deprehendantur, velut funt *tumores*, *verrucæ*, aliæ *excrefcentiæ*, *tubercula*, *ferpigines*, *excoriationes*, *profluvia*, *ulcera* manantia, ferpentia, fiftulofa, concretiones, coarctationes, atrifia, irregularis ftatus hæmorrhoidalis, fluor albus, fcabiofæ puftulæ & prurigines, furfuraceæ feceffiones & qui plures alii affectus pudicas hafce partes corripere & detinere folent, quos *medici*

medici & *chirurgi* inſpicere debent, quo iisdem certiorem & faciliorem medelam ordinare valeant: deinde quando *clanculum* perſonæ *conjugatæ* ſeorſim & *inſcia* altera parte in certis *accidentalibus* malis, quæ ſibi contraxerant, clandeſtina evagatione & violatione fidei matrimonialis *ſecretum* conſilium medicum conquirunt, inſuper *medicis* ſe oſtendunt & manifeſtant, quando cum *alio impuro* ſubjecto carnale commercium iniverant, & fœdam infectionem domi ſecum gerunt, unde aliquando fieri ſolet, ut unum *inquinatum* ſubjectum alterum purum & innocens e conjugibus inficiat: aut quando pudica quædam conjux in manus impudici mœchi infeliciter incidit & inter violentas ac anxias colluctationes vim aliquam in *genitalibus* locis a luſtrone paſſa eſt, ut medelam ob eandem quærere teneatur. Talis inſpectio *ſimpliciter medica eſt* & *cognitionem* atque *ſanationem* mali, pro ſolo habet objecto: Secundo, quando ſub controverſiis ac diſſidiis, thorum attinentibus, unum conjugatorum ſubjectorum de altero ob *defectus* & *vitia corporis* conqueritur, ac pro cauſa ſua juſtificanda atque certioranda *proprio* nutu *privatæ* alicujus medici inſpectioni ſe concredit atque ſubmittit; quam inſpectionem autem adverſa pars quippe inconvenientem, inſufficientem, ſuſpectam atque illegalem rejicit: Si itaque talis inſpectio fide digna atque omni exceptione major eſſe debet, requiritur, ut ſit *judicialis*, aut a judice ordinario & conſtituto decreta, ſubinde etiam a perſonis congruis & idoneis inſtituta: haud tamen præſens noſtrum inſtitutum eſt, ampliori explicatione indicare, *quæ*, *quot*, *quando* & *ubi* certæ deſtinatæ perſonæ huic actui ad- & intereſſe debeant, quoniam hic labor *præcipuum*

 nervum

nervum & respectum præsentis annotationis non concernit. Quod autem *palmarium* argumentum tractationis nostræ est, id versatur circa *ineptitudinem*, qua una pars alteram accusat, quo minus eadem ad *mutuam* copulam in negotio propagandæ *sobolis corpore* habilis atque *naturaliter* instructa est; cujus querelæ *varias* rationes atque *causas* controvertentes personæ proferre sciunt, ut una pars in alteram *culpam* conjicere sciat, soleat, ideoque *judex ambigat*, utri credendum: cardo itaque rei in hac lite versatur circa *impotentiam coeundi*, respectu utriusque Sexus: & quoniam absque hac facultate *imprægnatio* fieri haud potest, ita nullæ lites ordinariæ & regulariter moventur & instituuntur, si præter potentiam *legitime* coeundi, *sterile* tamen permanet matrimonium: ut *extrajudicialiter* quidem Rahel a Jacobo postulare queat, ut sibi liberos conciliaret, alioquin se morituram; *in judicio* autem si nullus defectus coeundi præsto est, parum vel minus audiri mereatur: Et hoc præcipuum momentum tractationis præsentis erit.

§. III.

Præter hoc interdum occurrit causa litis & diffidii, quando *mas* conqueritur, se in *conjuge* sua, *recens* nupta, non invenisse & obtinuisse *virginem*, aut virginalia in ea non invenisse, juxta illud *Deuteron. XXII, 14. sq.* ubi suspicio *perditæ aliunde* virginitatis & *prægressæ* de virginationis, aut deflorationis urget, quando imprimis obtrectatione adfectus mas propterea copulam carnalem cum fœmina non perficit, sed sine commissa tali miscela ad senatores civium in curia, aut judices eam defert, acriterque accusat, (licet comparate rarius fœminæ puræ, intemera-

tæ

tæ ac caſtæ ſimilem querelam & litem in *ſuſpectos maſculos* devolvant, quaſi hiſce liberum ſit, hanc legem caſtitatis violare, & rigorem illius in altero tantum ſexu urgere, dum hodierni hominum mores quoad hanc qualitatem multas aberrationes a regula & lege ſuſpicari permittunt, quamvis juxta tenorem juris divini hæc *puritas corporis* in utroque ſexu ſalva, integra & *mutua* requiratur) ideoque vel *inſpectionem corporis* accuſatæ, vel *aliam* inquiſitionem & detectionem veritatis indicat & poſtulat; quemadmodum inter Iſraelitas uſitatum fuerat, productionem & inſpectionem veſtis expanſæ, a parentibus incuſatæ factam, judicio Senatorum tradere & exponere, ut pro rei cognitione & inventione vel mulcta caſtigationis & pecuniaria, vel pœna lapidationis exerceri queat: qui ritus ſi adhuc in more poſitus eſſet, quod non betulæ arbores, aut lapidicinas requireret? An itaque talem inſpectionem decernere *fidum* & conſultum ſit, quidve *veri* certique in eadem ſubſit, breviter hoc loco etiam annotabimus: quoniam alias in re *dubia* atque *ancipiti anceps* & fallax experiri medium, nunquam *rationi* & obſervationi artificioſæ atque fundatæ reſpondet. *Tertius* caſus, in quo inſpectio corporis ad componendam quandam *controverſiam* & decidendam litem neceſſaria judicatur, ille eſt, quando in partibus, *generationis* officio miniſtrantibus, maritatarum perſonarum monſtroſa *deformatio* & *Hermaphroditica* conſtitutio accuſatur, ob quam una alteri *cohabitare* nequit: ita quidam homines hoc *vitioſo* habitu præditi, ſub ſpe futuræ *ſpontaneæ* mutationis matrimonium ineunt, hac autem animi levitate & temeritate ad conſequentia diſſidia ac turpis ſui nævi revelationem anſam præbent. Aliquando etiam

accidit, ut neutra partium conjugatarum ignominiam *imperfectionis* sui corporis tolerare & gestare velit, quando pro sua cognitione talem defectum in se ipsa non sentit, ideoque *una* in *alteram* partem culpam devolvit, & tandem *peritioribus* hanc difficultatem & ambiguitatem extricandam & decidendam committit: quo *ocularem* inspectionem æque necessariam esse judex interdum arbitratur: Rarius autem evenit, ut *utraque* pars *extra judicium mutua amicabili* conciliatione, deliberatione ac conclusione se *privatæ* alicui inspectioni *peritorum* submittat, ne aliorum malevolo judicio ac *ludibrio* se exponat, sed citra animorum disjunctionem causam *tacite* & *placide* scrutetur, quæ *infœcundo* conjugio tribui mereatur: raro itaque tali modo una pars alteram cum *lenitate* & *patientia* perfert, sed ob *morosam* & fastidiosam *impatientiam* & adversitatem facilius rem *parvam* nimium quantum extollit & magnifacit: Ad ejusmodi *extrajudicialem* & minus forensem, mutuæ vero cohabitationis opus concernentem inspectionem corporis pertinet, si forsan *genitalia* organa matrimonio junctorum subjectorum aliquo vitio *curabili* laborant, quæ actum *congressus* carnalis *impediunt*, ut propterea non ad præcipitatum consilium *dissolvendi* matrimonii impatienter confugere teneantur, cum adhuc spes impetrandæ *restitutionis* in integrum affulget: Ob id non male interdum, sed admodum juste & circumspectæ judices ex *alia forensi* inspectione judicant, an adhuc *tempus* ad *curationem congruam* instituendam, quid quod *artificiosa* talis medela decerni mereatur, priusquam confestim ipsum desideratum *divortium* decernatur, siquidem nec impossibile, nec inauditum est, fore ut *varia vitia* corporis, *generationis*

tionis negotio præjudicioſa cum tempore & patienti expectatione *emendentur* atque tollantur: Cum viciſſim ejusmodi *leviora* impedimenta, quando ad judicium deferuntur & ſub Advocatorum irritamentis & impulſibus agitantur, ob varios *morales* & *phyſicos* influxus, ſucceſſive *accreſcant*, ac ſub ejusmodi *judicialibus* concertationibus *firmiores* & profundiores radices capiant: quemadmodum nonnunquam talis contrarietas & *defectus* cum *mora* & tranquilla patientia *meliorationem* nanciſcitur, ſi unus alterius infirmitatem *quietius* toleraverat: ob id hujus controverſiæ actores omnes nervos intendere debent, quo partes, in *diſſidia* pronas, ad *amicabilem* tolerantiam, patientiam & expectationem diſponant. Juſte & recte itaque in *nonnullis* caſibus ad probandam aut integritatem, aut impotentiam *triennalis* conceditur terminus: *vid.* SIMON *de impotentia conjugali cap. VII. th. 3. n. 2.* hæc differens: *quando defectus occultus eſt, & manifeſtare difficilis (v. g. quando vir eſt infirmus, vel alias impeditus adeo ut experientia minoris temporis certa non ſit) tunc partes cohabitent per triennium a tempore celebrati conjugii, tam de jure Canonico c. 5. laudabilem c. 7. litteræ X. de frigid. & maleficiat, quam Civili Novell. 22. cap. 5. (etiam ſi de hoc olim tantum biennium conſtitutum erat l. 10. C. de Repud.) quo elapſo, ſi vir, quod pro veritate vir ſit, non oſtendat, licebit mulieri & ejus parentibus disjungere matrimonium. Nov. cit. Beuſt. P. 2. c. 14 in fin. Melancht. Ludwell. Beſoldus &c.*

§. IV.

Oculari quidem inſpectioni magna tribuitur fides, unde SCHWEDERUS *in Conſil. Tubingenſ. Vol. I. conſ. 17. n. 76. ſq.* inquit: *Sic namque ocularem inſpectionem efficaciſſimam*

mam ac veracissimam probationem, qua nulla major in jure detur expresse post alios plures a se allegatos, Andr. KNICHEN *tr. de sublim. territ. jur. c. 3. n. 86. per l 8. ff. l. 3. C. fin regund. Cum veritas magis per oculos, quam per aures animis hominum infigatur §. fin. de grad. cognat. siquidem quod oculus vidit, nemo fideliter negat.* BALD. *Vol. I. consf. 379. n. 6. quia sensus ocularis omnium accerrimus ac praesentissimus dignoscitur. Hinc apparere dicitur, quod ex oculorum inspectione nobis constat,* ANGEL. *Conf. 317. n. 2.* KNICHEN *d. l. n. 88. Et inde quoque testes, quorum dicta ocularis inspectio loci & evidentia rei adjuvat aut confirmat ceteris praeferuntur Hier. Gabriel. Vol. 2. conf. 180. n. 11. adeo ut Plautus dicat: pluris oculatus testis unus, quam auriti decem.* Annectimus testimonium LAUTERBACHII *Consil. Tubing. Vol. III. conf. 250. n. 16. Ocularis inspectio inter praecipuas refertur probationum species, & plenam operatur probationem* BERLICH. *P. I. Concl. 36. n. 17. imo omnium optima esse perhibetur Tiraqu. tr. de retract. §. 7. gl. 1. n. 39. omniumque in mundo fortissima Pruckmann Vol. I. conf. 27. n. 73 quae rem facit manifestam Besoldus thes. pract. voc.* Augenschein. Praecipue autem in inquirenda & dijudicanda *impotentia coeundi* inspectio corporis maxime necessaria a *medicis* instituenda a SIMONE *Praesid. Acad. disp. 14. de impot. conjug. th. 1. cap. 3. n. 4.* declaratur: & *num. 5.* adjicitur, *allegantes hoc impedimentum, tam in coeundi, quam in generandi impotentia, & tamen inspectionem recusantes, non sunt audiendi, tanquam si nihil ad rem faciens allegaverit,* quae verba sunt P. ZACCHIAE *qu. med. leg. Lib. 3. tit. 1. qv. 9. n. 6.* Talem inspectionem in *matrimonialibus necessariam* praedicat STRYCK. *in usu modern. in Lib. 25. Lit. 4. ff. p. 379. sq.* dicens: *Sic inspectio locum*

cum habet, quando de inhabilitate ad matrimonium dubitatur, ubi ventris inspectio decernitur & medicorum arbitrio committitur, *de quo pl. dixi in tr. de Jur. Sens. disp. 1. cap. 1. n. 54. p. 46.* quo loco B. author differit: *eadem quoque inspectio locum sibi vendicat, si præter impotentiam coeundi lis a conjuge conjugi moveatur, & divortium ab uxore petat maritus, ut si adeo arcta sit, ut mulier fieri non possit* &c. Pertinet huc suffragium SIMONIS *in Præsidii academici disp. XII. de oculata fide cap. 3. p. 539. In sponsalibus de præsenti desiderantur non impotentes ad debitum conjugale reddendum: hinc ubi ejusmodi defectus inhabilitatis occurrit, ut & pars, sane vitium urget, Consistoria nostra inspectionem ocularem per peritos chirurgos & medicos conficiendam Magistratui requirenti præscribunt: prout eundem processum docet in specie impotentiæ masculinæ Consist. Witteb. ap. Dedeken. Consil. & Decis. Vol. 3. Lib. 4. Sect. 6. n. 5. p. 503.* addit & pergit idem author *ib. p. 540. quod si maritus conqueratur de impotentia uxoris, tunc judex debet adhibere matronas expertas & honestas, quæ eam inspiciant, & post inspectionem mediante juramento dicant, quid sentiunt.* Constat vero vicissim, quod hæc denudatio, propalatio & *inspectio corporis*, quippe *inhonesta, impudica*, turpis atque obscœna æstimata sit: quare P. ZACCHIAS *Lib. I. tit. 1. qu. 6. n. 72.* inquit: *inspectio corporis a Justiniano honestatis causa explosa fuit:* Adjungimus SANCHEZ *de Matrim. Lib. 7. disp. 104. n. 28.* judicium: *eo ipso ait, dum de aliis signis constat, ex quibus illæsa honestate ac pudicitia, potentia aut impotentia coeundi præsumitur: cur Christianis ad suasum Justiniani pudori parcere & honestatem servare, non religio erit:* præterea hanc *inspectionem* KRESSIUS *Comment. &*

not. ad artic. 35. Constit. Crim. Carol. not. 2. p. 63. ignominiosam vocat, *quæ non admittenda, nisi peculiaris suspicio contra aliquam militet:* præter hosce inspectionem partium genitalium, *judicialiter* decretam, *turpem* nominat SALMUTH *Comment. in Guidon.* PANCIROL. *Rer. memorab. Lib. 2. tit. 10. p. 173.* dicens: *turpis est illa partium verendarum & venereæ colluctationis atque congressus inspectio, quam Gallis suis usitatam graphice depinxit Annæus Robertus Aurelius, solet etiam sæpe numero ea fallax esse:* conf. HERTIUS & RAMDOHR *de Inspectione oculari.* TUSCHIUS *Practic. Conclusionum Juris Tom. VI. p. 343. conclus. 776. Probatio per aspectum privilegiata in multis:* Accedit testimonium BOHNII *de Off. Med. Dupl. Part. II. cap. IV. p. 584. sq.* inquientis: inspectionem ocularem *ubi de pubertate judicandum pudicitiæ & castitati repugnare Hostiensis de desponſ. impub. rubr. 2. n. 4.* MENOCH. *de arbitr. jud. qv. Cent. I. caſ. 58.* SANCHEZ *de matrimon. Lib. 7. disp. 104. n. 32.* atque SCHNEIDEW. *Instit. Lib. I. tit. 24. turpem ejusmodi corporis adspectum maxime reprobant, innixi potissimum Instit. tit. quibus modis tutela finiatur & C. quando tutela vel cura desinit, ubi quæ corporis inspectio hujus causa adornata in fœminis olim impudica visa fuerit, ad masculos quoque eam extendere jubet Imperator. v.* SCHURIGII *Parthenologia Sect. 1. cap. 2. p. 12. sq. conf. Ej. Spermatol. cap. X. §. 10. p. 520. sq.*

§. V.

Sed dum ratio officii & *instituti* nostri præsentis non requirit inquirere & dijudicare an ejusmodi forensis inspectio organorum *pudicorum utriusque* sexus honestati & *verecundiæ* non repugnet, licet in alio casu necessitatis,

quan-

quando *illæ* partes *morboso* quodam affectu laborant, qui in sacco veluti atque *occulto* curari nequit, nisi medici & chirurgi eundem adspiciant & probe explorent, ubi verecundiæ haud adversatur, si subjecta hasce partes ægras, squalidas & impuras in arte peritis manifestant & demonstrant; sicuti vicissim pudori non resistit, si ad indagandam certitudinem & *veritatem*, ad componendam litem & *dissensionem*, & ad sublevandam *justitiam*, adeoque *non frivole* talis inspectio suscipitur, modo regulæ honestatis & monitum illud AUGUSTINI *Lib. 14. de Civit. Dei cap. 27.* observentur: *quisquis ad has litteras impudicus accedit, culpam refugiat, non naturam: facta denotet suæ turpitudinis, non verba nostræ necessitatis.* Inter alias autem vicissitudines & *qualitates*, ad inspectionem forensem in causis *matrimonialibus* attinentes, hoc themate *fallacias*, dubitationes & ambiguitates sub eadem obvias, brevi disquisitione annotabimus, quo justus & circumspectus judex in decidendis casibus & controversiis *certiori* nitatur fundamento. Reminiscimur autem hac occasione illius asserti, *congrua* relatione ad *præsentem* considerationem applicandi, quod sequentibus LEYSER *in meditat. ad ff. Specim. XIV. medit. VI. p. 149. & 150.* profert: *etsi enim istam inspectionem* (quæ ad investigandum præteritum partum adhibetur) *aliquando fallere posse non omnino inficiemur; tamen illa remedia quæ aliquando fefellerunt, non omnino rejicienda sunt, cum alias fides actorum, testimonium duorum testium, tortura & cetera, quæ quotidie a judicibus adhibentur, nullius momenti esse deberent. At si non de puerperio, sed concubitu saltem controversia est, tum inspectionem ad investigandam virginitatem parum recte adhiberi cum Cujacio Lib. 17. observ.*

 27.

27. & JCtis Wittenberg. ap. Beyerum in append. dissert. de Legato liberationis ab indebito n. 12. existimamus: etsi Pontifex in c. 4. X. de Probat. & Stryck de Jur. Sens. diss. 1. c. 1. n. 49. dissentire videantur, atque illustre bujusmodi inspectionis exemplum ap. Jo. Cuspinianum in vita Henrici VII. Imperatoris, & Lehmannum in Chronico Spirensi Lib. VII. c. 11. occurrat. Per *Fallacias* autem non intelligimus *fraudes* ac *dolosas* deceptiones, quæ consulto aut ex constituto *arbitraria* inventione committi possunt, sed *causas*, quæ vel *ambiguitate* sua, vel *abscondita* conditione, vel *incompleta* & imperfecta sua qualitate, vel *instabili* & simulationi imo *animi affectibus* obnoxia affectione veritatem sub inspectione eludunt, ac *claudicantem* certitudinem constituunt, ut ita *judices post* inspectionem decretam & administratam, æque *dubii* ac incerti sint, quam antea fuerunt, dum variæ circumstantiæ concurrunt, quæ in prosecutione actionum & processuum animum judicantium a *physicis* & *manifestis*, ad *morales* & *intrinsecas*, magis *latitantes*, causas animum, præsumptionem & suspicionem deducunt, ita ut ex *consequentibus* appareat, *præmissam* inspectionem *supervacaneam* & infructuosam extitisse, opera, sumptus & connexos diversos motus animi in personis inspectis *frustranea* fuisse: cujus *irriti* actus illa proferri poterit excusatio, *non putaram*, wer alle Dinge zuvor wüste ꝛc. Aliquando evenit, ut *vanus* inspectionis successus posthac varias *dubitationes* in animum instillet, an *congruo tempore*, *modo*, *ordine*, *loco*, *constantia* instituta sit, inde evenit, ut *post diu* agitatam controversiam, quando partium litigantium crumena admodum mulsa, & animi valde irritati, perturbati & corrupti fuerunt, tandem sententia definiat, dies-

sem

sem nach sind beyde Theile, nach vorhergegangenen Zureden, sich wieder beysammen zu begeben, und als Christliche Ehe-Leute einander beyzuwohnen schuldig, in Entstehung dessen aber durch dienliche Zwangs-Mittel dazu anzuhalten: V. R. W. Interea factum est, quod *regulariter debuit* & *potuit* fieri, quamvis successus & *eventus non* respondeat desiderio partium.

§. VI.

Ut autem in ordine *nonnulla exempla*, specimina & quosdam *casus fallaciarum* talium atque dubitationum proferamus, primo loco disquisitioni nostræ se offert *Pubertas* naturalis, adeoque *aptitudo* quoad membra, *generationis* officio ministrantia, ad *legitimum*, perfectum ac *fœcundum matrimonium* ineundum: apud Græcos atque Romanos olim judicium de *pubertate* per ocularem inspectionem institutum fuit: de hoc ritu autem ac scrutinio SIMON *Præsid. Acad. disp. XII. de Oculata Fide cap. 2. p. 537.* ita disserit: *verum cum successu temporis id inverecundum & oculis & auribus quid? flagitii principium duceretur, nudare inter cives corpora: Cujac. ad c. puberes 3. X. de desponsat. impuber. Valer. Max. Lib. 2. de instit. antiq. Cic. Lib. 1. offic. Tertullian. in Lib. de virginit. veland. Tholosan. Syntagm. Jur. univers. Lib. 9. c. 9. n. 10. merito Imper. Justinian. mutavit hoc - - qua de causa non membra, quæ Deus & natura occultavit, sed ætas spectanda sunt, indagatione corporis inhonesta cessante* &c. Non quidem nobis placet in considerationem & decisionem *pubertatis latius* excurrere, nec amplius indagare, an causis *physicis* & civilibus conveniat illud judicium, quod TERTULLIANUS *de virgin. veland. c. 11.* profert: *tempus*, inquit, *etiam Ethnici obser-*

 vant,

vant, ut ex lege naturæ jura sua ætatibus reddant; nam feminas quidem a duodecim annis, masculos vero a duobus amplius ad negotia mittunt, pubertatem in annis non sponsalibus aut nuptiis decernentes. Aſt hæc cognitio multum ab eo abludit, quod frequentius aut utplurimum evenit: recte enim ZACCHIAS *qu. med. leg. Lib. 1. tit. 1. qu. 6. n. 34.* teſtatur: *ſi experientiæ credendum eſt, ex fœminis vix duodecimam partem duodecimo anno purgari compertum eſt: imo & multas ex iis, quibus etiam calidius temperamentum a natura inditum eſt, vix in ipſo decimo quarto in hiſce noſtris regionibus purgari diligenti adhibita cura cognovi, licet nonnullas, ſed numero pauciſſimas, duodecimo anno, aut etiam citius purgari compererim:* in quem locum ita commentatur COCCEJUS: *leges aptari debent iis, quæ utplurimum non quæ raro fiunt: multæ enim regulæ ob varios ancipitesque caſus in jure conſtitutæ ſunt, quæ non neceſſario, & univerſaliter obtinent, ſed indubie tantum & quamdiu alia ratio certior aut melior non apparet - - negotia enim in jure adeo ſæpiſſime variant modo, tempore, qualitate aliisque circumſtantiis, ut de iis perpetua & conſtans regula tradi non poſſit:* Quemadmodum autem in obſervatione naturali exempla conſtant *præcocis* & *anticipatæ* pubertatis, qualia allegantur ab *Hieronym. Epiſt. ad vital. Tom. III. Rhodigin. Lect. Ant. L XIV. c. 8.* FRANCKIO *in l. c.* ZACCHIÆ *n. 33. Paullini* Zeitkürtzende Luſt *P. I. n. 18. p. 55.* SCHURIGIO *in Spermatol. c. 4. §. 16. p. 185. ſq.* in D. PRÆS. *Jurispr. medic. Vol. 1. Part. 1. cap. 2. §. 9. lit. e.* ita viciſſim alia *retardatæ* pubertatis teſtimonia & exempla in *languidis* & *debilibus* naturis obtingunt: Quodcunque autem ex prædictis accipiatur judicium, quoad pubertatis cognitionem, ſive fuerint ſigna

gna in *corpore*, five *ætatis* æftimatio, ad *utrumque* tamen refpectum *fallaciæ* occurrere poffunt & folent: quod fi enim aut mafculus, aut fœmina fub perfuafione mutuæ aptitudinis, *maturitatis* & pubertatis poft inchoatum matrimonium *defectus* quosdam in thoro fentiat, licet interdum ob *juventutem* & innocentem educationem eosdem non cognofcat & intelligat, & fi in hoc negotio magis *peritis* & exercitatis, velut parentibus &c. non nihil de tali defectu confitetur, & vel *fponte* indicat, vel fub *jocofa* confabulatione, quæ cum neo nuptis aliquando mifcetur, aperit, vitium illud *detegitur* in facto, licet non in *caufa*, in quo pofteriori refpectu dein *dubitatio* & fallacia latitat: utra quæ pars pro puberi æftimata fuerit, & five *ætas* five *corpus* confideretur, five etiam aut *privata*, five *judicialis* infpectio ocularis inftituatur, quo fons & origo defectus aperiatur, nihilominus hæc indagatio aliquando fpem & *judicium fallit*: fœmina deprehenditur effe *menftruata*, & periodum duodecim, quatuordecim, fedecim annos attigiffe, *haud* tamen interdum *admittere* poteft virum, in quo nulla culpa deprehenditur: aft fi cafus curatiori fcrutinio inquiritur, vitium hæret in *irregulari* Menfium ftatu, in arctiori conftrictione *fpafmodica* vaginæ uteri, (quæ interdum in fanis ceteroquin feminis contingit, ut vagina virile membrum arcte conftringat & retineat, *vid.* REJES. *in Camp. Elyf. juc. qu. XLI. n. 10.*) in connata & per *hæreditatem* maternam communicata *genitalium* commotione, in *perfonali* & individuali *abhorrefcentia* carnalis hujuscemodi *congreffus*, fub quo & mirabiles *animi* atque *corporis* commotiones, aliaque acceffaria *impedimenta*, quoad hanc corporum mifcelam con- & intercurrere folent, quorum

cau-

causam fœminæ *sensibiles* & *verecundæ* occultant, quam nec *externum* & receptum judicium, nec *inspectio* manifestam reddere potest. Æque ac in masculo & *ætas* integra ac *congrua*, & *membra* quoad *externum* intuitum perinde *perfecta* & illibata deprehenduntur, nihilominus autem *cohabitatio* a parte illius *imperfecta*, insufficiens, & *deficiens* deprehenditur, dum membri *vigor* & præstantia *vix diu* durat; ut *seminis* emissioni & communicationi satisfaciat, propterea que fœmina de *mariti* maturitate & *pubertate* ambigat, præcipue si ille *junior* fuerit, adeoque bellum matrimoniale & litem ipsi denunciat & indicit: cujus defectus causa, aut in *temperamento* valde *frigido* & torpido, velut eminenter *melancholico* & *phlegmatico*, aut in *implantata* aliqua *generali infirmitate*, vel in connata speciali tam *partium genitalium*, quam *functionis* generantis *debilitate*, nec non in *abscondita* & *ancipiti*, *adversa*, instabili, *vacillante valetudine*, &c. hæret, quam *nulla inspectio* aperire & cognitam reddere potest, quæ propterea in talibus & similibus casibus *fallax* atque supervacanea evadit. Ideo *ante* inspectionis decisionem & ordinationem *forensem*, medici consultatores *circumspecti* esse debent, ne *tales* caussas in *utroque* sexu prætermittant, neve ad frivolam, ludicram & inutilem inspectionem ipsimet præcipitatam occasionem ministrent.

§. VII.

Quodsi etiam in tali *juniori* ætate, quando de *integra pubertate* & maturitate ob vicissitudinem circumstantiarum *ambigitur*, subjecta quædam extreme *pudica* ac in varios *animi affectus* prona fuerint, tunc ad eruendam veritatem & indubiam causam, utplurimum *fallax* est inspectio,

ctio, quo valet illud judicium MENOCHII *de arbitr. judic. quæst. Caſ. 117. n. 3. corporis inſpectus non intelligitur de pudibundis, nam inſpectio illa a jure ut turpis rejecta eſt:* inde evenit, ut ſub tali *coacta* inſpectione ob ſummum *angorem* & *pudorem* inſolitæ ac *novæ* mutationes oriantur, velut mictiones involuntariæ, cruentationes, inflationes, ſtricturæ, contractiones, anguſtationes, abbreviationes, retorſiones, rubores, tumores &c. qualia extemporanea *accidentia* minime *vera* cauſa *controverſiæ* ſunt, quin verius inſpectionem *eludant*, & expectato ſuo ſcopo fruſtrentur. Præterea autem in *matrimonialibus* cauſis varii alii caſus occurrunt, in quibus Inſpectio ſæpe *frivola* & inhoneſta eſt: Non raro obvenit querela mariti *contra* uxorem, qua hæc ad *cohabitationem* conjugalem quippe *inepta*, velut *atreta*, nimis *arcta* & occluſa accuſatur; ideo aliquando *verecunda* conjux culpam in *maritum* devolvere & referre, aut *arcana thori* coram judicio propalare tenetur, dum hujus infirmitatem, languorem, *laxitatem* & mollem atque pendulam imbecillitatem indicare ſolet, quæ impedimento eſt, quo minus hic coſtam ſuam intrare & *penetrare* queat: hoc ut pateſiat, judex decernit *inſpectionem*, ſub qua maritus *virilitatem* ſuam robuſtam, denſam, firmam, erectam, *rigidam* &c. probare debet: ad cujus experimenti deſideratum ſucceſſum inſpectio magis *impedimento*, quam emolumento eſt, quoniam in *præſentia* judicialiter deputatorum medici & chirurgi, quippe virorum, non ita intime familiarium, corpus ſuum denudare, & quidem in tali ſtatu haſtato monſtrare illi, in quibus vel tantillum *pudoris* eſt, *turpitudini* ſibi ducunt, ob quam verecundam, eamque clandeſtinam *averſionem*, utplurimum

D quam-

quamvis vellent, aliaque occasione *valeant*, *hoc* tamen tempore, id quod *debent*, præstare *non* possunt, adeo ut alioquin sine causa & culpa *innocenter* de hoc defectu accusati, sub tali inspectione se *strenuos* viros, tanta *firmitate* eo tempore instructos, exhibere nequeant, & facile culpa in illis hærere & subsistere queat: Huc quadrat, quod ex HORATIO AUGENIO *Epist. & Consil. Tom. 2. Lib. 3 fol. 38.* allegat SCHURIGIUS *in Spermatol. Cap. X. §. 10. pag. 523. in causa divortii admonuit, manifestæ inquiens adfuerunt causæ, a medicis conscriptæ impedientes erectionem, odium scilicet, commemoratio rerum præteritarum, quæ vel maxime ad illius honorem pertinebant: rixas tumultus cum socru & socero & verecundia: sciebat enim præ foribus adsistere obstetricem, archiepiscopalem notarium, quatuor medicos, ut magnam aliorum turbam prætermittam. Recordabatur præcepisse medicos illi, ut erectum ostenderet penem, antequam cum Conjuge rem haberet; quis, si hæc vera sunt, erigeret Penem? aut coeundi desiderium non statim amitteret? Non immerito Joh. Baptista Sylvaticus laudat Decretum Constantiense citius dissolvatur matrimonium, ubi impotentiæ postulatus fuit maritus, quam triennium præterlapsum sit, ut certius interea de re admodum sæpe intricata, & num vitium sit naturale, ne ope medicorum sanabile, constare possit.* Quid ni autem facile liqueat decretam inspectionem in *tali* casu *supervacaneam*, inutilem sterilemque futuram, dum sub variorum *animi* affectuum ac morum concursu, tumultu ac miscela, velut tædio, morositate, indignatione, diffidentia, sollicitudine & ambiguitate de successu ac eventu præstandæ probæ, pudore &c. coram solenni tali deputatione & legatione, ne tritor quidem, aut

sub-

ſubulcus, integra ratione præditus, deſiderio huic atque impoſito experimento *ſatisfacere* poteſt, quin certius illud aut plane non, aut difficulter, aut inſufficienter ſuccedat, & antehac perfecte & firmiter haſtatus vir, ob ejusmodi ſolennes & judiciales inſpectiones langueſcat: id quod eo certius eveniet, ſi inſpectio talis, quæ *prima* vice *fruſtra* & ſine effectu inſtituta fuit, iteratur, ſub qua *prædictæ* qualitates duplicantur, ut eo certius denuo irrita atque vana inſpectio reddatur, omnemque expectationem fallat.

§. VIII.

Ad *Fœminas* inſpiciendas quod attinet, quamvis quoad ordinationem honeſtarum *matronarum* ac modeſtarum *obſtetricum* earum verecundiæ parcat judicium, variæ tamen *difficultates* & obſtacula interdum occurrere ſolent, quæ inſpectionem irritam & *fallacem* reddunt, dum præter id, quod familiaritate & *propinquitate* conjunctæ fœminæ ad talem actum convocari & adhiberi *haud* debeant, ita per inde mulieribus inſpiciendis ipſe actus *judicialis* alienus eſt atque tœdioſus, qui *ſemimaculans* & honeſtati contrarians reputatur, wann man ſich hat müſſen gerichtlich beſichtigen laſſen, quod in *opprobrium* & criminationem ducunt, quomodocunque ſors ceciderit, ſive in teſtimonium *innocentiæ* & integritatis ſuæ, ſive, quod eo ignominioſius eſt, in ejus culpam & *convictionem*: ob id in tali fœmina eo *potentiores* affectus pudoris, mœroris, angoris, ærumnæ, metus &c. dominium exercent, & varias *alterationes*, ſicut in *univerſum* corpus, ita etiam in partes *inſpiciendas* transferunt: proinde vero ejusmodi matronæ & obſtetrices, quibus inſpectio demandata eſt, ad *intricatas* & *intrinſecas* cauſas eruendas & dijudicandas imperitæ & ineptæ ſunt; ni-

si *oculis* & *digitis* crasso modo aliquam *angustiam* aut *amplitudinem* comprehendere, observare & indicare sciant: ob defectum autem cognitionis & *relationis mariti* ad *conjugem* suam nihil quod fidem meretur referre & denunciare valent, licet visum suum repertum juramento nonnunquam confirmare debeant, id quod ab iisdem interdum requiritur *arg l. 1. de vent. inspic. C fraternitatis ubi Gloss. in verb. district. de frigid. & malefic.* nam fœmina quædam pro ratione suæ ætatis, temperamenti, staturæ corporis, ac temporis matrimonii, *sufficientibus* qualitatibus corporis sui prædita esse potest, licet respectu mariti, *procerioribus* membris corporis instructi, adhuc quædam *angustantes* difficultates adesse possint, quæ vicissim cum tempore, mora, expectatione, patientia & moderata conversatione cum conjuge superari possunt, ut non necesse sit, quo animus conjugum in fastidiosam dissensionem & impatientem litem, de divortio quærendo, præcipites ruant. Aliquando quidem judices dubitationibus & difficultatibus, a prima inspectione adhuc residuis & obviis, quando de diligentia, peritia & dexteritate priorum mulierum, quæ inspectionem administrarunt, dubitant, subvenire cogitant, ut id fiat quod SIMON *de fide oculari cap. 3. p. 540.* disserit, *si judex advertat, quod istæ mulieres non satis diligentes in ista inspectione fuissent, cum manus & oculi harum mulierum in his casibus sæpe fallant, potest tunc denuo alias matronas adhibere, quæ diligentius rem considerent c. causam de probat. c proposuisti, ubi Panormitani* &c. Ast nec hæc *repetita* inspectio interdum priores dubitationes extricare & resolvere adjuvat: etenim nonnunquam in certis fœminis *latitantia* occurrunt vitia, quæ ægerrime inquiri possunt, nisi cum temporis

poris curſu magis manifeſta evadant, velut *Scirrhi* & *accreſcentiæ* ad *uteri* cervicem, quales *primis* temporibus ſub *congreſſu* maritali moleſtiam & impedimentum accerſunt, extra hunc autem parum afficiunt: ſimilis qualitatis ſunt *intimiores* concretiones membranoſæ, quæ amplexibus matrimonialibus renituntur, aut aliud faſtidium creant: inde nonnunquam tales lites oriuntur, quæ judices & medicos vexaſſe teſtantur; qualem allegat JOH. FRAGASO *in Libro declarationum* & quem caſum REJES. *Camp. Elyſ. juc. qu. XL. n. 6.* hiſce commemorat verbis: *Fœmina quædam viro nupta marito litem impoſuit de matrimonio dirimendo, impotentiæ illius cauſa, cum tamen eo tempore, quo litem movebat prægnans eſſet fateretur que ſe ab ipſo gravidam factam fuiſſe, minime tamen corruptam: varia a judicibus in negotio diſputatum eſt per chirurgos obſtetricesque utroque examinato: concluſum tandem caſum poſſibilem fuiſſe Philoſophis, Theologis, Juriſtis aſſerentibus* &c. Quid in ſimilibus caſibus inſpectio ocularis utilitatis promittat, & an non plures dubitationes proferat, facile judicare licet. Huc pertinent illi caſus, quando certæ fœminæ a *quolibet coitu* colicam, paſſionem hyſtericam, vomitum, Lipothymiam, (*conf. A N C dec. 1. an. 3. obſ. 233*) epilepſiam &c. perpeſſæ fuerant, ubi medici & judices ambigunt an culpa hæreat in clandeſtina *morboſa conſtitutione* corporis conjugis, an in *acri* & quaſi virulenta qualitate *Seminis* maris, an in mala *relatione* & *reactione* ſeminis *maris* & *mulieris*: in quibus caſibus, ſi mulier divortium petit, *fruſtra* decernitur inſpectio, niſi *manifeſta* cauſa morbifica in uno aut altero ſubjecto illuceſcat.

D 3 § IX.

§. IX.

Numerum ejusmodi casuum *matrimonialium* auget, si conjux *maritum* impotentiæ accusat, eo quod sub *copula* carnali semen *emittere nequeat*, ideoque illo *careat*, & *virum* quoad *generatricem* facultatem se probare & præbere non valeat: cui accusationi vir contradicens *contrarium* probare debet: quare nonnunquam decernitur virum *arbitraria* proritatione demonstrare debere, quod *Semen*, idque *purum*, bonum & prolificum habeat: sub illa instituta inspectione *variæ* fallaciæ & *dubitationes* occurrere solent, dum in conspectu aliorum voluntario nisu Semen elicere & frivola, impudica & difficilis actio est, & pudicitia utplurimum frena illa *emollit* & *flaccida* reddit, quibus cum Semen produci debebat; & si tandem hoc turpe negotium succederet, quis in tali dubio & controverso casu e vero & certo testari poterit, *fœcundum* illud semen esse: quoniam in observationibus medicis non desunt exempla subjectorum, quoad *externum* intuitum *optime* sanorum, haud tamen *prolificum* sperma continentium, sicut non omnia subjecta & individua *æqualem* copiam & *præstantiam* illius liquoris continent: prout etiam nonnunquam *provincialis* & *personalis* hominum qualitas, quòd *debiliori* & *parciori* virtute generatrice præditi sint, óbservatur, & *una* natio, familia & persona *præ* altera aut *plus* aut *minus* fœcunda deprehendatur: Cujus qualitatis causam *frustra* quispiam in *inspectione* oculari quæsiverit: hinc etiam evènit, ut si quibusdam maribus *judiciali* cognitione imponitur, quo in aliorum deputatorum conspectu semen proritare debeant, ob eandem *exiguam* hujus quantitatem, id extemplo emittere nequeant, quod alibi sub consueto tran-

tranquillo & *libero* congressu *majori stimulo* & *copia* proferre possunt: nec non aliquibus masculis accidit, ut, licet *sufficientem* spermatis copiam contineant, tamen quando extra ordinem illud emittere debent, vel occasiones vel causæ hujus emissionis varia *impedimenta* aut *moralia*, aut *physica* hanc excretionem turbent & sufflaminent: quo præcipue *animi motus* diversi & adversi, qui *inspectionem* solennem comitari, aut *refrigeria* externa id causari solent, referri debent; sicut analogum ferme specimen deprehenditur, in animalibus *lactantibus*, quibus nonnunquam difficulter lac collectum exprimi potest, de quo credulæ mulierculæ sentiunt, quasi *arbitrarie* lac continere & reprimere queant, Sie könten die Milch an sich halten: Accedit & hæc ratio, quod quidem nonnulli mares *sufficientem* Seminis copiam possideant, quod aut pollutionibus nocturnis, aut sub alio libero & quieto statu sat *largiter* emittunt, interveniente autem alia occasione, quando *sub* actu *congressus* carnalis impediuntur, aut in timorem, terrorem, fastidium &c. conjiciuntur, vel profusio seminis *præcipitetur*, vel confestim reprimatur & coerceatur, daß er sich schnell verlauffe und verhalte: a qua *restrictione* quidam varia *incommoda*, velut certam speciem stranguriæ, tenesmum, tumorem testium, ardorem in vasis seminalibus, turbulentam colicam, molestum internum nisum, bubonodeas inflationes glandularum inguinalium, membri dolorificam tensionem & erectionem, imo aliquando consequentem Gonorrhœam benignam experiuntur: sicut enim alias in statu ordinario & naturali Semen, quod semel in suos canales *secretum* & translatum est, dein iterum resorberi solet & potest, cujus *regressus* seminis in massam sanguineam

men-

mentio occurrit in *A. E. L. Suppl. V. & 1713. p. 408.* ut & *in A. N. C. Cent. 3. obs. 79.* ROGERSIO *de Spermatosi*, GRÆF *de organ. generat. Leal Lealis in Ep. ad Domin. de Marchette de partib. Semen conficientibus.* Sic etiam *extra ordinem* sub inspectione aliorum mediante musculo cremastere & tunica interna testium communi, Darton vocata, hæc seminis *restrictio* & retentio subito fieri potest & solet, hinc ZYPÆUS *in fundam. medic. cap. 3. artic. 6. §. 12.* inquit: *qui veneri non indulgent, & caste vivunt, illis non ita multum seminis generatur, nam paulatim angustantur viæ & materia seminis retrofertur, quæ in lumborum aliarumque partium nutrimentum cedit. conf. A. E. L. Suppl. 9. p. 160.* Exinde autem quando masculus quispiam vel *parum* Seminis continet, vel *sub inspectione* haud notabilem illius copiam producere potest, non de *absoluta* illius *impotentia* conclusio formari poterit, ut propterea in *tali* casu denuo eadem *inspectio* infructuosa, sterilis, & *fallax* deprehendatur: nec ita facile talis forensis inspectio decernatur, quando de *paucitate* Seminis controversia movetur, quoniam inter *defectum*, aut valde *parcam* ejus quantitatem, & *modicam* illius copiam pro ratione *subjecti* æstimandam, utique annotanda occurrit differentia.

§. X.

Aliquando conjux neonuptum maritum *impotentia* accusat, quod ipsi cohabitare nequeat, ob *insufficientem* membri *rigiditatem*, quam quidem ipse omni nisu & anxio labore urget, nunquam tamen perficit, quin magis adhuc incorruptam & illibatam conjugem *angit*, extreme molestat, quid quod *immodica* compressione & frictione violat & *cruciat*, ipsum autem *opus* matrimoniale perficere

ficere *nullus* poteſt; ne autem utraque pars cum diſpendio *ſanitatis* fruſtra nitatur, aut opus hoc ſine ſucceſſu incaſſum proſequatur, fœmina non ſemper amicabile, ſed judiciale petit divortium. Maritus ambitioſus & hanc maculam atque ignominiam, quæ virilitatem ejus offendit, ægre ferens, usque ad inſpectionem ocularem litem accreſcere permittit, qua inſtituta *nullus defectus*, nec ullum vitium naturale obſervatur, hinc de inique litigante & accuſante conjuge obtinuiſſe & victoriam reportaſſe gloriatur: aſt licet labes & vitium non *externum* & *conſpicuum* ſit, tamen ſub *curaticri* ſcrutinio intrinſecus latitare facile colligitur, quando videlicet mas ille aut ſub vita *militari*, aut ſub curriculo *academico*, aut e locis *peregrinis* redux, talem defectum domi ſecum reportat; qui vel in caſtris *Bacchi*, vel in miniſterio *Veneris* provocatus fuerat, wann man ſich zu ſchanden geſoffen, und gehurt hat: nec deſunt caſus, ubi juniores milites, multum *equitationi* indulgent, ſeque illa valde *enervont*, aut plane interdum ex *equo præcipites* fiunt, ſubinde *genitales* partes ephippii apice graviter contundunt, unde illæ impoſterum perquam *languescunt*, aut ad *ſufficientem* cohabitationis matrimonialis exercitationem ineptæ redduntur, quando *uſque ad* ſeminis emiſſionem, quam tamen *plenarie* perficere nequeunt, eandem proſequi poſſunt: præterea quando ad *arcendam* ebrietatem fortiora *diuretica*, aut ad luctam *veneream* acriora *ſtimulantia* uſurpant, quæ breviori temporis circuitu nimium *languorem* & frigiditatem *illis* partibus accerſunt & accelerant, qualis *externo* intuitu obſervari & indicari interdum non poteſt: conſtant porro nobis caſus, ubi *gonorrhœa* benigna & maligna affecti ob *pudorem* nulli in arte *perito* hunc clandeſtinum affectum aperuerunt, nec il-

E lius

fius *maturam* curam postularunt, sed sub bonæ & *temperatæ* diætæ observatione *diu* illam tolerarunt, donec eadem post unius & alterius anni decursum *sponte* cessaverit, quam autem magna *virilis* membri *debilitas* consecuta fuit: quod si itaque contra talem *frigidum* maritum lis moveatur, quid quod *inspectio* decernatur, sub qua autem partes *genitales puræ* integræ & illæsæ conspiciuntur, de reliquo etiam si erectio & seminis emissio urgetur, *defectum* illius pudicitia, formidine & aversatione excusare novit, ut eapropter *inspectionem nihil* emolumenti attulisse, sed *fallacem* fuisse innotescat, ideoque judex aut temporariam biennalem, vel triennalem *patientiam*, vel curam congruam instituendam, vel si quod aliud medium inveniri poterit, decernere soleat, debeatque: *Improbant* itaque jure meritoque prudentes, moderati & religiosi sententionantes *congressum* carnalem præsentibus deputatis mulierculis, quas honestas & fide dignas esse volunt, celebrandum, quam inspectionem & *honestati* & utilitati repugnare recte judicant, dum humanam velut naturam deposuisse & bestialem furorem assumsisse ejusmodi homines videntur: merentur hoc loco BOHNII verba *supr. §. 5. l. c.* allegari *p. 585. Quando post cæteras potentiæ coeundi notas copulam actualem præsumptionem ad illam facere idem* HOSTIENSIS *l. c. aliique tradunt, & pro hac attestanda in conspectu Matronarum peritarum coitum celebrare jubent*, his SANCHEZ *l. c. disp. 109. n. 15.* & SPEIDELIUM *Specul. Jurid. Polit. lit. P. in voc.* Ehe-Scheidung *contradicentes observamus, asserentes turpissime testes oculares in ejusmodi casibus admitti, utpote qui hac ratione facile in libidinem abriperentur; imo forte marem alias validum & potentem satis in specimine sub aliorum aliarumve conspectu edendo, præ pudore intempestive fatiscere*

fatiscere

ſcere & quaſi elumbari. Quantum enim animi paſſiones vehementiores hoc negotium modo intendant, modo ſufflaminent *Alexand.* BENEDICT. *Prax. Lib. 24. c. 12. poſt plura alia documenta his verbis comprobat: alios verecundia tenet, alios metus ipſe, tot modis ſuſpenditur cum animo coitus - - - - ad validitatem matrimonii non coeundi, ſufficit ſed ſeminandi ſ. ſemen immittendi quoque ſimul requiritur, potentia, quarum illam quidem, non vero hanc, cernere teſtarique valent ejusmodi ſpectatores vel ſpectatrices*, conf. HERTIUS *de Inſpect. ocular. ſ. XI. p. 232. Opp. 9.*

§. XI.

Præter hæc ſpecimina & exempla, quæ *Inſpectionis* ocularis in cauſis *matrimonialibus fallacias* & dubitationes comprobant adhuc ille caſus allegandus eſt, quando *mares* quidam *moderati*, pudici, *caſti* & continentes tori ſociam ſibi adjungunt *æſtuante* & flammigero ſpiritu & corpore præditam, quæ *plus*, quam *vires* ac deſiderium mariti tolerant, copulam carnis urget, quam quidem pro moderamine mentis ipſe, utut non ultra modum, adeoque comparate *immodice* urgere vellet conjux, præſtare poteſt, præc. ſi maritus non adeo *firma* & *robuſta* ſanitate præditus fuerit; unde ipſi *mora* ad colligendas *vires* abſolute neceſſaria eſt, ne ſanitatis & vitæ ſuæ diſpendium patiatur: nam talibus ſubjectis accidit, quod PLUTARCHUS περὶ ὑγιεινῶν dixit: *Si venus in corpore male & præter naturam affecto* (quale in debilibus & *ſemivaletudinariis* eſſe ſolet) *miſceatur his etiam, qui nondum certum vitium aut corruptionem acceperunt, phlegma bilemque movet, exagitat, magisque ac magis excitat*; quare PORPHYRIUS *Lib. 1. de abſtinentia abeſu carnium, negat omnino venerem ad ſanitatem conferre:* & ex authoritate AVENZOAR, RABBI MOYSES

 in

in Lib. de regimine vitæ teſtatur: *quicunque cupit ſanitatis continuationem, non aſſumat coitum in mente ſua, nec recordetur ipſius, quantum poterit.* Quodſi itaque *moderatus* talis vir ad *crebrum* conflictum matrimonialem a *laſciva* conjuge, quæ libidines non habet *domitas*, & quam ne priapus quidem ipſe facile ſaturabit, provocetur, cui deſiderio *ſatisfacere* ipſe non poterit, ut propterea *inſatiabilis uterus* accuſaverit *caſtum* maritum de *frigiditate* & impotentia, urgeatque *inſpectionem* ocularem, tunc iterum, ſi hæc etiam ad petitionem conjugis decernatur, *fruſtra* illa inſtituetur, quoniam nihil culpoſi & *vitioſi* in marito obſervatur, niſi uxoris ardentem libidinem mariti continentiæ, temperantiæ & caſtitati non reſpondere appareat: quis autem propterea litem de divortio adipiſcendo probaverit? rectius itaque vires non adeo *dilapidandæ* ſunt, id quod *venereis* actionibus perficitur: quare *Cælius* AURELIANUS *Lib. Chron. V. cap. ult.* inquit, *venereus uſus effœminat membra atque fortitudinem tollit*: Cui itaque ſubjecto ſive mari, ſive fœminæ limitatæ atque *medicæ* conceſſæ ſunt vires, illi poſt cohabitationem carnalem congruum tempus ad vires denuo colligendas relinqui debet, nam teſte eodem authore *l. c. Lib. 3. cap. 5. Venus eſt nervoſitatis vexabilis, quippe cum fortitudinem Corporis tollat*: addimus quæ TIRAQUELLUS annectit *in XV. Leg. Connub. Gloſſ. I. Part. XV. n. 23. p. 214.* SERVIUS *in Lib. 5. Æneid. interpretans locum illum ejusdem libri, Fas omne eſt, Cytherea meis te fidere regnis, unde genus ducis - - ſcribit Venerem* Ἀφροδίτην *dictam a maris ſpuma, quæ* ἀφρὸς *dicitur ex qua ea nata eſt: quod ſcilicet omnes vires ab uſu venereo debilitantur, qui ſine corporis damno non geritur:* ita etiam nec *mas* ultra *virium* ſuarum *limites* urgeri debet; nec

mirum

mirum esse potest, si hosce transgreditur, quod ultra *potentiam* suam, quæ *non obligat*, satisfacere nequeat, citra *visibilis* signi annotationem, adeoque cum inspectione *supervacanea*: Et quæ non clandestinæ *vitiosæ*, conformationes organa *genitalia fœminarum* affligere solent, quas ex observationibus medicis amplifice allegare, nimis diffusus labor esset, quæ vitia *copulam* matrimonialem & *impediunt*, velut sunt Sarcomata, uteri orificio adnata, Hydatides, durities lapidea & cartilaginosa, scirrhositates, membranæ cartilagineæ, intrinsecus vaginam uterinam occludentes, defectus plane uteri & propterea brevior vagina &c. *quales* defectus a matronis quibusdam providis & honestis ad mandatum *Papæ Innocentii III. in c. Fraternit. 6. X de Frigid. & Malefic.* aduocandis, si illi *intimius* hæreant, sub curatiori reliqua inspectione & *manuali* exploratione *ægerrime* manifesti apparent, & nihilominus dubitationes post peractam inspectionem & visitationem relinquunt, in quali casu *nuda* inspectio minime omnium sufficit, & quæstio *legalis* proinde formari posset, an *solus visus* illico sufficiat & non *tactus* etiam accedere debeat; & licet in hoc casu, ut in alio juxta *Fulv.* PACIAN. *de Probat. Lib. 2. cap. 2. n. 17.* & *Angel.* ARETIN. *Cons. 142. n. 20.* ab *obstetricibus* & *matronis* honestis *tactus* genitalium admittatur, tamen nec peritia, nec ipse status rei sub hac sollicita inspectione aliquoties *sufficiunt*, quo genuina causa abscondita cognosci & evidens reddi queat.

§. XII.

Brevibus adhuc mentionem faciemus, quid *Fallaciæ* atque Dubitationis subsit in *Inspectione* oculari, quando sub controversiis matrimonialibus de *læsa* aut *illæsa* Virginitate actio & indagatio instituitur: *Duplici* occasione id fieri

poteſt, primo ſi maſculus *virginem* in matrimonium ducit, attamen poſthac talem ſe inveniſſe negat; ut ſupra monitum fuit, idque turpitudini ſibi ducit, ſeque *deflorata* perſona deceptum fuiſſe dolet & conqueritur, ideoque aut recentis matrimonii diſſolutionem, (*vid.* CARPZOV. *Prax. Crimin. Part. II. qu. 63. n. 53. ſq.* *nam qui cum virgine contraxit, nonniſi in virgine conſenſit & caſtitatis conditionem tacite ſubintellexit:* quare *pacta & contractus dolo initi, nullius ſunt momenti, nec a parte decepta ſervandi* juxta vulgatam R.J. *l. 7. ſ. ait. prætor. ff. de pact. l. 7. in pr. ff. de dolo.* & multo gravius læditur vitiatam pro virgine ducens, ſi eam retinere cogeretur, quam mulierem pro virgine eruens. *vid.* CARPZ. *Jurispr. Conſiſt. Lib. II. tit. XI. defin. 193. n. 12. ſq.*) aut pro dolo & ignominia opulentiorem & pinguiorem dotem requirit: quo autem *accuſationis* ſuæ veritatem comprobet & ſcopum ſuum certius aſſequi valeat, inſpectionem ocularem requirit: Deinde, quando fœmina quædam *eo* tempore, quo matrimonium inivit, *virgo* fuit, & poſt aliquam cum viro cohabitationem indicat & conqueritur *maritum* ejus *impotentem* eſſe, ſeque non a viro *perfecte* cognitam aut compreſſam, ideoque *illibatam* virginem adhuc eſſe, propterea que *ſeparationem* a marito poſtulare. Priorem caſum quod attinet, tunc *virginitatis* notæ, *ſigillatim* conſideratæ, valde *dubiæ* & *ambiguæ* ſunt, ita ut cruentatio muliebrium partium ſub primo congreſſu non modo non abſoluta & *perpetua*, ſed & multis *fraudulentis* machinationibus & doloſis experimentis atque imitationibus obnoxia ſit, dum ſuſpectæ fœmellæ cruentationem talem aſtu quodam *provocare* poſſunt, & deceptiones ſuas callide ludere ſciunt: idem de anguſtia & *arctiori* genitalium ſtatu ſentiendum eſt: quemadmodum omnia reliqua ſigna multis æqui-

qui vocationibus ſunt obnoxia, de quibus hoc loco latius agere non neceſſe eſſe judicamus, quoniam hæc disquiſitio ex abundanti a D. D. PRÆSIDE *in Jurispr. Medic. Tom. I. cap. de Virginitate integra & læſa* tractata fuit. Quis itaque tali ſub ambiguitate in *inſpectionem* ocularem multum fidei & *fiduciæ* collocare poterit? ni perpetuæ *dubitationes* mentem detineant, unde ſæpe fœminæ *aliquoties* virum expertæ, integerrimam virginem æmulari poſſunt: Alterum momentum quod reſpicit, tunc in eodem caſu inſtituta Inſpectio ſimilibus incertitudinibus atque dubitationibus ſubmiſſa eſt, quoniam uxor incorruptam & virginem ſe jactitare poteſt, dum maritus contrarium affirmat, ipſa ſubinde inſpectio *dubias* illas atque *ancipites* virginitatis notas reperit & ſignificat: an autem ad talem inſpectionem tres aut quatuor, aut plane ſeptem obſtetrices requirantur, (ut poſterius vult SIMON *in Præſidio Academ. diſp. XV. de Jure obſtetricum* §. 15. p. 923.) perinde erit, quoniam æque prudentes ab hac inſpectione tres aut ſeptem diſcedent obſtetrices, & hæc iis atque querela iisdem machinamentis & fallaciis, quæ in priori caſu occurrere ſolent, obnoxia exiſtit; dum ſola *arctitudo* & *teneritudo* genitalium, quoad *corporis* affectiones virginem indubitatam non comprobat: conciliamus cum hactenus dictis Reſponſum Facultatis Lipſienſis, quod allegat ZITTMANNUS *in Medicina forenſi Cent. 3. caſ. 65. p. 747.* cujus finalia verba ſunt: So können bey dieſem Subjecto und angeführten Umſtänden keine gewiſſe, oder nur probabilia ſigna læſæ, aut non læſæ virginitatis anzumercken ſeyn: accedit correctio AMMANNI *p. 748.* So geben wir ꝛc. daß weder wir Medici, vielweniger die Kinder-Mütter, einige infallibilia oder valde probabilia indicia coitus jam facti, excepto ſtupro violento, in pudendis

dis fœminarum & virginis gewiß verspühren mögen: am allerwenigsten wird solches an eurer Stieff-Tochter, welche mit euch bereits vor 2. Jahren zugehalten haben soll, zu observiren seyn; hic AMMANNUS *in Medic. Crit. Casu. 75. discurs. 75. p. 501.* inquit: *Virginitas difficillime probatur & discurs. 100. p. 610. n. 5. Signa violationis virginitatis, æquivoca sunt & communia violationi factæ alio quocunque modo vid. Zacchias:* obsignamus hanc observationem testimonio MERCURIALIS *Tom. 2. cons. 66. usque adeo*, ipse ait, *incerta virginitatis indicia habentur, ut tum vir, tum fæmina vitiati virgines apparere concurrentibus tum medicis atque obstetricibus possent: unde neque inferre licet puellam aliquam esse desloratam, quod velamine careat, locosque latos habeat; neque esse virginem, quod membrana illa integra (hymen dicta) in ipsa reperiatur. conf.* FORTUN. FIDELIS *Relat. Med. Lib. 3. cap. 4. p. 352.* SCHURIGII *Parthenologia Sect. 3. cap. 7. p. 352. sq.* HERTIUS *de Inspectione oculari §. X. p. 228. sq. opp.*

§. XIII.

Ultimum quod adhuc addere convenit *Hermaphroditorum* inspectionem attinet, qui utplurimum in matrimonii desiderium *ardentius* flagrant, quam alii homines, dum utriusque sexus conjunctio unita vi in *libidinis* affectu fortior est: de quibus itaque *ante* initum matrimonium *vitiosa hæc* deformatio naturalis constat, illis *ante nuptiarum* concessionem inspectio ocularis decernitur, qua non modo generice *aptitudo* quædam ad *matrimonium* observatur, sed quisnam in eodem subjecto *prævaleat* sexus, quo magis cohabitationi in toro satisfacere queat, annotatur & indicatur: quare CARPZOV. *in Jurisprud. Consistor. Lib II. tit. 1. def. 16. n. 4.* inquit: *periculosum sane est, ejusmodi hominibus nuptias permittere, ex quibus altera pars facile decipi &*

in

in peccatum adulterii prolabi potest, si nempe potior non sit sexus ille, quem contrahens cum Hermaphrodito quærit & desiderat, ideoque magis dissuadendum ejusmodi conjugium, quam permittendum, nisi Hermaphroditus instanter urgeat desiderium, illeque in eo prævaleat, quem pro ratione conjugis nuptiæ requirunt; nempe ut fiat maris ac fœminæ consociatio. Hisce jungimus HERTII verba *de Inspect. ocular. §. IX. Opp. p. 228. Tom. III. Si de Sexu dubitatio incidat, etiam inspectio locum habet. In Androgyno puta, s. hermaphrodito, ut constet uter in eo sexus prævaleat; l. 10. de stat. hom. l. 15. §. 1. de test. caus. 4. qu. 38. Hermaphroditus: nam hic inire matrimonium nequit, nisi Magistratus facta prius cognitione usum unius sexus concesserit, aut si utroque polleat æqualiter (quod fieri posse arbitratur Zacchias Lib. 3. Qu. Med. leg. 8. 9. tit. 1. n. 2.) quo uti velit sexu optionem dederit.* Testimonia hæc comprobat STRYCK. *de Jure Sensuum disp. 1. c. 1. n. 59. sq.* & SIMON *Præsid. Acad. disp. XII. de oculari fide c. 2. p. 535.* DEDEKENNUS *Consil. Theol. Vol. 3. Lib. 2. Sect. 1. n. 7. p. 76.* quod videlicet *ante* matrimonii concessionem *Androgyni inspici* debeant; qualis inspectio etiam *generatim* non improbanda est, licet perinde in *variis* casibus suos habeat *defectus*, suasque *fallacias* atque *dubitationes*: quando videlicet in subjecto *nullus idoneus* deprehenditur sexus, qui ex ulla parte matrimoniali congressui satisfacere posset, ut propterea matrimonium *plane non* permittendum esse judex cognoscere debeat: *vid.* SIMON *de impot. conjug. cap. 4. th. 2. n. 26.* SINIBALDUS *Geneanthrop. Lib. 2. tr. 1. c. 4. p. 99.* aut si nonnunquam id evenit, ut *metamorphosis* quædam in eodem subjecto consequatur, quod primo intuitu *distinctum* sexum præsentavit, ex cujus *eminentiori* qualitate officium illius sexus in matrimonio

F per-

permisso præstari & administrari debuisset; si vero cum temporis mutatione præcedens status & sexus in *alium prævalentiorem* immutatur, tunc novæ inde oriuntur dissensiones & dubitationes, quodnam in *tali* mutatione rei instituendum sit: quod autem ejusmodi sexus mutationes fieri soleant & possint, amplius commonstrat ZACCHIAS *Qu. med. leg. Lib. VII. tit. 1. qu. 8 n. 5.* & *21. & qu. 9. n. 8. Casp.* REJES. *Camp. Elys. juc. qu. 57.* MERCURIALIS *variar. Lection. Lib. 6. c. 20.* SIMON *de imp. conjug. l. c. th. 3. n. 1. sq. A. E. L. An. 1688. M. Maj. p. 229.* Et licet in Androgynis certus, distinctus, *prævalens* atque *constans* sexus reperiatur, illa tamen denuo remanet *dubitatio*, an illi, si etiam ad matrimonium ineundum admittuntur, *fœcundi* sint, ne post ratificatum matrimonium ob consequentem *sterilitatem* inter conjuges nova lis oboriatur, & judicium de dissolutione matrimonii decernenda molestetur & fatigetur. Quodsi autem subjectum *hermaphroditicum vitiosum* corporis sui statum *occultaverit*, quia in organis *genitalibus* illa deformitas *non admodum* conspicua, & ipsum illud subjectum hujus vitii plane ignarum est, ideoque vel inscienter & innocenter, vel scienter & fraudulenter alteram partem decepit & fefellit, tunc sub inspectione decreta interdum *latitans* vitium, quod in intimiori ac *profundiori* regione hæret, haud facile erui ac evidens reddi potest, ut denuo irresolubilis dubitatio remaneat, & ante divortii concessionem vel cura per *expectationem*, vel per *chirurgicam* aliquam inventionem & operationem præcipiatur & ordinetur. Hæc diversa sunt specimina, exempla & documenta, quæ *fallacias* & dubitationes in causis & casibus matrimonialibus, sub Inspectione oculari obvias, comprobant: quæ autem non eum ob finem

nem explicare & significare volumus, quo Inspectiones tales tollamus & improbemus, cum probe nobis cognitum sit, in arduis ejusmodi casibus, quando inter partes lis movetur & promovetur ac neutra earum sponte, facile & libere culpam confitetur, imo plane interdum hujus ignara est, quælibet autem illarum contra alteram jure meritoque litigare & excipere posse, sibi arrogat & persuadet: attamen hac deductione indicare placuit, ne in judicio ferendo nimis *præcociter* ad hanc inspectionem confugiamus, sed antequam causæ actores aut Advocati ejusmodi dissensionibus se immiscent, & mentes conjugatarum personarum majori suspicione, fastidio & odio corrumpunt, adeoque scintillam clandestinæ aversationis ad flammam inimicitiæ promovent & ad se invicem instigant, consultationes peritorum, ingenuorum & conscientiosorum medicorum suademus & commendamus, quibus hæc arcana thori revelari possunt, ne hæc ad judicium publicum deferantur, utriusque partis fama & honestas lædatur, animi maritatorum hominum atque familiarnm inter se diffidiis & simultatibus collidantur, interea frustra interdum classicum canatur & tanti motus excitentur, crumeni mulgi vero optimum inde commodum atque lucrum recuperent; de quo inter pocula ejusmodi par noble fratrum gaudent, quod inuicem tam quæstiosam litem judicialiter satis callide per varias vicissitudines & protractiones tractaverint: dum ab initio rectius, antequam ignis flagrat, per amicabilem compositionem, & justam ac christianam admonitionem frustra & frivole institutus & continuatus talis processus atque dissensus dirimi & quietari potuit: quoniam supervacaneæ tales & variis fallaciis & dubitationibus stipatæ inspectiones non aliam sententiam definitivam

promittunt, quam ut partes litigantes ad novum mutuum consortium revertantur, aliquamdiu intricatum circumstantiarum statum patienti & moderata expectatione tolerent, nec rem derelictui habeant, curam convenientem animi atque corporis instituant, ac ita tranquille successum praesentis status observent, donec in futurum in quantum de jure, pro exigentia rerum aliae decisiones formari queunt. Ex aequo itaque & prudenter ipsi Judices, quando talis controversia matrimonialis ad illos defertur, priusquam inspectionem corporis admittant, peritum medicum in consilium ducant, ne inutilis & supervacaneus inspectionis actus concludatur, a quo aeque scientes & prudentes discedunt, quibus interest, ac antea accesserant, magnamque fiduciam in eandem collocaverant. At ne limites transgrediamur praesentem tractationem cum devotissima laude & gratiarum actione, quam DEO T. O. M. pro oblato auxilio in hujus thematis commendatione, debemus, obsignamus, Eidemque tam praesentem nostrum laborem, quam futura nostra conamina ad prosperos commendamus successus atque ad omne votum fluentem

FINEM.

